



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio LXXXVI. De actibus humanis: & primum de voluntario.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPUTATIO LXXXVI.

De actibus humanis: & primum de voluntario.



BEATITVDINEM tanquam finem, in quem tendere omnes debent, supra præfiximus: nunc de mediis, quibus adulti ad hunc pertingere scopum debent, agendum, quæ humana cum sint, actus scilicet humano modo, seu liberè à voluntate elicitus, rectus doctrinæ ordo postulat, ut hunc de actibus humanis tractatum subjiciamus, quem eò brevius expediemus, quòd multa in illo contineantur Philosophica, & in Philosophiâ latè discussa: quorum proinde tractatione series Disputationum Theologicarum non est interrumpenda.

SECTIO PRIMA.

Prænotantur quedam circa naturam voluntarii.

I.
Quid nomine voluntarii hic intellegant Theologi.



VOLUNTARIUM à voluntate ductum est: unde quidquid sub voluntatem cadit, generali hac vocis acceptione voluntarium appellatur; nos autem præsius hic de voluntario loquimur; quod enim ad voluntatem spectat per modum objecti, volitum propriè dicitur non voluntarium, econtrà actus ipse voluntatis, quo aliquid volumus, est voluntarius, cum tamen non sit semper volitus: sicut etiam odium quod est fuga objecti, non est fuga sui.

II.
Quicquid à voluntate quorvis modo procedit, dicitur voluntarium.

Alio præterea modo dicitur aliquid voluntarium quod scilicet à voluntate procedit sive ut actus elicitus, sive ut imperatus: nullus tamen est actus imperatus voluntatis, qui non sit etiam elicitus, licet non econtrà, multi enim sunt elicitus, qui non sunt imperati. Hæc nihilominus actuum productio ad rationem voluntarii universim non requiritur, Deus namque multa vult voluntariè, qui tamen actus illos in se non elicit. Deinde multi conceptum voluntarii consistere dicunt in accessu tantum vel recessu intentionali ab objecto per actum voluntatis, seu potentie appetitivæ, conformem inclinationi operantis: unde, inquirunt; licet actus voluntatis non procedat efficienter à voluntate, vel substantià animæ, sed ei tantummodo uniatur, adhuc denominabit voluntatem amantem, & voluntariè tendentem intentionaliter in objectum: ita cum aliis Arriaga d. 6. de anima, sect. 2. num. 48. sicque ulterius, dici ad hoc consequenter potest, ad rationem voluntarii non requiri, ut quod dicitur voluntarium, actu producatur à voluntate, sed solum quod aptum sit ab illo produci; verba siquidem in definitionibus, juxta regulam à Dialecticis assignatam, non significant actum, sed potentiam.

III.
Voluntarium est à principio intrinseco, cum aliqua cognitione finis.

Definiti communiter solet voluntarium, id quod est à principio intrinseco, nempe appetitivo, ut ipsum nomen voluntarii sonat, cum aliqua cognitione finis: quam ultimam particulam addit San-

ctus Thomas hic, q. 6. art. 1. corpore: Hæc verò definitio desumitur ex Aristotele 3. Ethicorum cap. 1. licet is voluntarium ibi tantum perfectum definire videatur, seu rationale. S. Thomas autem latiore tradit illius definitionem, ut videbimus.

Ad hujus porò definitionis intelligentiam, notandum id quod optimè declarat S. Thomas art. 1. cit. triplex præcipuè ad rem præsentem repetiri motuum genus in agentibus naturalibus; aliqua enim moventur merè ab extrinseco, ut cum lapis movetur sursum; alia ab intrinseco quidem, sed sine cognitione, sic lapis movetur deorsum, ignis sursum, &c. tertium tandem genus, & reliquis perfectius est, quando agens ita ab intrinseco movetur, ut moveatur per cognitionem, & hoc modo tendat aliquà saltem ratione volendo in finem; omnis autem hujusmodi actus sicut tendens in finem, seu ex cognitione finis dicitur voluntarius.

Hoc posito facile declarantur singulæ partes definitionis. Quod ergo voluntarium sit à principio intrinseco, jam constat: non autem habet esse necessariò à principio efficiente, cum Deus spontaneè, seu voluntariè agat, sed esse debet, vel efficienter, vel per identitatem; item efficienter actu vel aptitudinaliter juxta dicta num. 2. ut abstraham ab opinionibus, quas initio sectionis posui.

Clara etiam est secunda definitionis particula, cum aliqua cognitione finis, vel scilicet per modum boni quæ boni allicientis, vel mali terrentis: per hanc proinde particulam excluduntur à ratione voluntarii omnes actus intellectus, utpote qui non in bonum quæ bonum feruntur, sed quæ verum. Hinc rationem voluntarii non sortitur, vel actus conclusionis deductus ex cognitione præmissarum, nec actus iudicii procedens ex apprehensione præviâ ejusdem objecti: hi enim actus, quamvis sint à principio intrinseco, & à cognitione, non tamen à cognitione finis, seu boni vel mali juxta dicta.

Quare non erat opus ut Arriaga hic, Disp. 8. sect. 2. definitioni voluntarii adderet has particulas, potentia appetitiva, cum hæc ex communi voluntarii acceptione, ipsaque Philosophi mente sufficienter

IV.
Triplex in agentibus naturalibus reperitur motuum genus.

Tertius, scilicet perfectissimus motus.

V.
Ad voluntarium non requiritur, ut sit à principio intrinseco efficiente.

VI.
Quo pacto voluntarium sit cum aliqua cognitione finis.

VII.
Dux actus à voluntate provenientes, à ratione voluntarii excludere volebat Aristoteles.

sufficienter intelligantur, qui solum agebat de voluntate, sed quia difficultas erat de duobus actibus à voluntate provenientius, essent necne voluntarii, illo scilicet qui ex coactione procederet, & qui ex ignorantia, ut primum excluderet, dixit, debere voluntarium esse à principio intrinseco, id est ultro quadammodo, & quasi sponte fieri, non provenire à coactione extrinseca. Ad excludendum verò alterum addidit cum cognitiones circumstantia siquidem ignorata perinde est ac nulla; sicut enim nihil volitum quin præcognitum, ita nec voluntarium, & eo gradu est voluntarium, quò præcognitum. Sufficit etiam ad rationem voluntarii, ut procedat ex cognitione sui, ut constet in actibus voluntatis imperatis.

Sufficit se procedat ex cognitione sui.

SECTIO SECUNDA.

Inferuntur quadam circa conceptum voluntarii.

I. Voluntarii reperitur in brutis.

HINC sequitur primò, voluntarium etiam reperiri in brutis, ut cum S. Thoma art. 2. communis habet auctorum sententia; illa siquidem licet non propriè media eligant propter finem, imperfectè tamen cognoscunt finem, saltem materialiter, in actu scilicet exercito, sub ratione boni attractivi, eumque hoc modo amant & prosequuntur. Imò nonnulli, inter quos est Salas, bruta subinde cognoscere volunt proportionem, & utilitatem quorundam mediolorum in ordine ad finem: quod tamen nostra in præsentia non refert.

Imperfectè etiam cognoscunt finem.

II. Aliud est, à quo etymologia nominis sit deducta, aliud quid nomen inde deductum significet.

Nec obstat nomen voluntarii à voluntate desumptum esse; aliud namque est, à quo etymologia nominis sit deducta, aliud quid nomen ipsum inde derivatum importet. Sic licet vox concordia à conjunctione cordium deducta primò sit, nunc tamen quamcunque animorum conjunctionem, aut voluntatum denotat, & inter ipsos etiam Angelos reperitur. In præsentia itaque voluntarium idem significat, quod spontaneum, seu quod ultro est à potentia appetitiva, & secundum inclinationem operantis. Unde licet quidquid est laude vel vituperio dignum, sit voluntarium, non tamen econtra, nisi quis (quod interdum fieri solet) per voluntarium & spontaneum, intelligat liberum.

III. Quando actio aliqua censenda sit completa voluntaria.

Sequitur secundò, tunc actionem aliquam esse completè & perfectè voluntarium, quando omnia quæ illam impedire possent, cognoscuntur: quoad circumstantiam verò quæ invincibiliter ignoratur, actio non est voluntaria: si autem circumstantia illa ignoretur ignorantia solum vincibili, seu cautione debita & diligentia non adhibita, tunc quamvis non physicè, & directè, moraliter tamen & indirectè, seu sufficienter ut imputetur ad culpam, circumstantia hæc est ei voluntaria.

IV. Quadam vocantur voluntaria, qua tamen solum sunt voluntaria obiectivè. Generatio Verbi divini quo sensu Patri dicitur voluntaria.

Sequitur tertio, multa subinde dici voluntaria quæ tamen voluntaria propriè & formaliter non sunt, sed tantum obiectivè. Sic illud omne in quo sibi complacet voluntas dici solet voluntarium, licet nullo modo vel insit, vel procedat à voluntate: quo sensu existentia Dei dicitur nobis voluntaria. Sic etiam dum generatio Verbi Divini dicitur Patri voluntaria, sensus est esse illam juxta Patris voluntatem, nec aliud in eà Generatione reperitur voluntarium, quam obiectivum, quatenus scilicet voluntate comitante, & sine

omni coactione ab extrinseco, Pater Æternus Filium genuit, summè sibi in Generatione illà complacens, & infinitè de eà delectatus.

SECTIO TERTIA.

De divisione voluntarii in liberum & necessarium.

HÆC est communissima voluntarii divisio, circa quam præcipuè inquiruntur duo. Primum est, qualis sit hæc divisio, utrum scilicet subjecti in accidentia, ut si quis hominem divideret in album & nigrum, vel generis in species: utrum nimirum liberum & necessarium sunt differentie essentialiter contrahentes rationem voluntarii ut sic, an solum accidentaliter. Quæstio autem procedit, supposito etiam quod libertas non sit de essentiali volitionis, ut non esse ostendi Disp. 24. de Anima sect. 3. num. 4. hoc enim admisso adhuc inquirimus an liberum & necessarium quamvis non sint de essentiali actus, sint tamen de essentiali voluntarii.

I. Quæsi sit divisio voluntarii in liberum & necessarium.

Recentiores ergo aliqui, licet posita illà sententià, libertatem putent actui voluntatis seu volitioni esse extrinsecam, voluntario tamen aiunt esse intrinsecam. Conceptus siquidem voluntarii dicitur duo, actum scilicet voluntatis & cognitionem, à qua ille actus oritur: cum verò, inquit, mutato actu de libero in necessarium, licet actus voluntatis idem persistat, cognitio tamen mutetur, & loco cognitionis indifferentis substituat alia, non indifferens, sed ad unum determinata, quæ cognitiones specie inter se distinguuntur, sequi aperte videtur voluntarium specie differre à libero, etsi volitio libera præcisè specie à necessaria non differat: sicut, inquit, licet album & nigrum non sint species hominis, sunt tamen species hominis colorati.

II. Prima sententia est, libertatem esse extrinsecam, voluntario esse intrinsecam.

Hæc doctrina, posito quod cognitio ingrediat ut pars conceptum voluntarii, est frequenter vera; cognitio namque indifferens sæpe differt specie à non indifferente, ut constat. Nonnunquam tamen sicut actus liber, ratione alicujus extrinseci transire potest de libero in necessarium, ex solâ mutatione cognitionis, ita & ipsa cognitio eadem manens, potest ab indifferente transire ad non indifferenter ratione alicujus sibi extrinseci, & eadem numero persistens esse principium actus voluntatis liberi & necessarii. Sic eadem cognitio, quæ in sensu diviso unionis Hypostatica (ponamus naturam prius tempore existentem fuisse assumptam) erat indifferens, potuissetque esse principium actus liberi, in sensu composito unionis non potest esse illius principium, sed tantum principium actus necessarii circa objectum præceptum, ergo in hoc casu etiam si voluntarium includat cognitionem, liberum & necessarium non sunt differentie essentialiter illud constituentes, sed accidentia tantum, & idem voluntarium transire æquè potest de libero in necessarium ac eadem volitio. Hoc dico supponendo communem sententiam quæ proponi solet in Philosophiâ, & latè tractavi Disp. 24. de Anima sect. 2. & 3. libertatem scilicet esse actui voluntatis extrinsecam; in contrariâ enim sententiâ liberum & necessarium non essent accidentia, sed differentie essentialiter constituentes voluntarium, ut constat.

III. Potest cognitio manens eadem transire de indifferente ad non indifferenter.

III. Potest cognitio manens eadem transire de indifferente ad non indifferenter.

Sicut eadem volitio, in sensu composito unionis non potest esse illius principium, sed tantum principium actus necessarii circa objectum præceptum, ergo in hoc casu etiam si voluntarium includat cognitionem, liberum & necessarium non sunt differentie essentialiter illud constituentes, sed accidentia tantum, & idem voluntarium transire æquè potest de libero in necessarium ac eadem volitio.



SECTIO QUARTA.

Sitne liberum, an necessarium perfectius voluntarium.

I. NOTANDUM aliud esse querere de perfectione actus, aliud de perfectione voluntarii, seu de voluntario specificativè & reduplicativè sumpto; potest siquidem contingere, ut actus aliquis voluntarius sit alio perfectior, non tamen in ratione voluntarii formaliter & reduplicativè sumpti: sic namque in variis contingit, ubicatio enim, actio, aut unio supernaturales, licet sint entitativè perfectiores naturalibus, non tamen in ratione formali ubicationis, actionis, aut unionis; imò in hac ratione possunt esse imperfectiores, ut si unio exempli gratia supernaturalis esset solum partialis, sine dubio naturalis unio totalis esset illà perfectior in ratione unionis, & perfectius uniret.

II. Clarius hoc constat in actu supernaturali, quo cognosceretur aliqui, homo exempli gratia descriptivè, & actu naturali quo idem cognosceretur definitivè; licet enim prior actus perfectior foret entitativè, in ratione tamen definitionis esset imperfectior. Idem est de discursu virtuali in Deo, & formali in nobis, qui est perfectior in ratione discursus, licet in entitate sit infinitè illo imperfectior; & sic de aliis.

III. Mihi itaque probabilius videtur cum Patre Vasquez 1. 2. d. 23. cap. 3. Salas d. 1. num. 70. & aliis ex recentioribus; licet aliqui actus necessarii voluntarii sint perfectiores liberis, ut patet in ipso actu increato Dei, & amore necessario beatorum; in ratione tamen voluntarii perfectius esse voluntarium liberum, quam necessarium. Hoc sæpè docet S. Thomas, ut q. 21. art. 2. & lib. 1. contra Gen. cap. 82. & alibi. Idem docet S. Augustinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. Peccatum, inquit, in tantum est peccatum, in quantum est voluntarium. Quare S. Thomas 1. p. q. 41. art. 2. ait, actus notionales in Deo non esse perfectè voluntarios. Imò ita plerumque loqui videtur Scriptura: ut, Voluntariè genuit nos, &c. hoc est liberè.

IV. Ratio est: nam ut rectè declarat Vasquez citatus cap. 4. juxta auctores communiter, & peculiariter juxta Aristotelem, & S. Thomam, nomine voluntarii intelligitur id, quod procedit quidem ab intrinseco cum cognitione, modo tamen operandi, qui est oppositus violento, ex ignorantione, aut modo inanimato, sed modus operandi cum libertate est hujusmodi, utpote per quem voluntas maxime propriè operatur ut voluntas. Deinde maxime recedit à modo operandi rerum inanimatarum, cum non solum procedat ex cognitione, sicut voluntarium necessarium, sed etiam cum indifferentià, seu ita ut pro arbitrio operantis potuerit non esse, & in hoc etiam differt ab operationibus rerum inanimatarum, quod non facit voluntarium necessarium, ergo liberum in pluribus differt à modo operandi inanimatarum, quam necessarium, & consequenter est perfectius in ratione voluntarii. Hac tamen controversia ut bene advertit Pater Arriaga hic, D. 8. sect. 3. num. 20. multum habet de modo loquendi.

V. Dices voluntarium definitur: id quod est à principio intrinseco cum cognitione finis, ergo id quod procedit ex perfectiore cognitione erit perfectius

voluntarium, sed talis est amor necessarius beatorum, procedens scilicet ex visione beatificà, & multò magis amor increatus Dei, increatam Dei scientiam supponens, ergo. Respondeo cognitionem tantum pertinere ad voluntarium in obliquo, præcipuum verò quod in eo spectatur est actus voluntatis: cum ergo volitio libera sit ab intrinseco, eo modo quo Aristoteles, S. Thomas, & auctores communiter in definitione voluntarii intendunt, nempe modo maxime opposito rebus inanimatis, erit perfectius voluntaria: unde non est perfectio maxima seu simpliciter simplex actum aliquem habere rationem perfectissimi voluntarii, licet actus ille sit aliunde perfectissimus. Imò argueret in Deo imperfectionem habere hujusmodi voluntarium in amore sui, sic enim posset ab hoc amore cessare, quod dici nullo modo potest.

Dices secundò: voluntarium necessarium, procedens ex perfectà cognitione, ita est voluntarium, ut non possit non esse voluntarium, ergo est perfectius libero. Nego consequentiam: nec enim ex eo quòd sit magis necessariò voluntarium, sequitur esse magis voluntarium: sicut licet certitudo actus scientiæ naturalis sit magis necessaria, seu necessariò elicità, quam certitudo actus fidei supernaturalis, cum hic sit omnino liber, certitudo nihilominus scientiæ naturalis non est perfectior certitudine fidei.

Concludo itaque, perfectissimum voluntarium materialiter seu in genere entis esse voluntarium necessarium, ad hoc enim sufficit, quod unum individuum voluntarii necessarii, amor nimirum Dei respectu sui, sit perfectissimum; in ratione tamen voluntarii formaliter & reduplicativè, seu quà voluntarii, perfectius est voluntarium liberum, ut totà hac sectione ostensum est.

SECTIO QUINTA.

De voluntario indirecto.

VOLUNTARIUM indirectum illud dicitur, quod est à voluntate, non ut ab agente, sed non agente, seu ut ab actu cessante: ubi etiam includitur effectus positivus, ad omissionem secutus, quatenus scilicet non est impeditus, sicque permixtus, quamvis non propriè causatus. De qua re fuse S. Thomas, 1. 2. q. 6. art. 3. & Thomista ibidem, Vasquez hic d. 24. cap. 2. Valentia hic Disp. 29. q. 1. p. 1. Suarez D. 1. sect. 5. Salas 1. sect. 4. Arriaga D. 8. sect. 5. & alii: ego rem quam possum paucissimis perstringam.

Quod ergo hic inquirimus est, utrum effectus positivus ad omissionem secutus sit voluntarius. Videt quis, exempli gratià, aliquem ex alto casurum nisi opem ferat: omittit is opem ferre, ex quo sequitur lapsus: quæritur utrum lapsus iste & mors hominis sint illi voluntaria. Variis potest res hæc modis contingere: quare ut clarius procedamus, suppono non esse præceptum nec obligationem effectum illum impediendi: si enim sit præceptum, perinde ei est, ac si positivè effectum illum causaret, & eodem modo illi imputatur ad culpam: quidquid sit utrum omittere subvenire extremè indigenti, ex quo fit ut moriatur, sit peccatum ejusdem speciei cum homicidio, quod negari passim solet, sed tantum dicitur esse peccatum simile homicidio. Ad quam rem S. Ambro-

semper est perfectius voluntarium in ratione voluntarii.

Deus in amore sui non habet perfectissimum voluntarium.

VI. Quod est magis necessario voluntarium, non est magis voluntarium.

VII. Perfectissimum voluntarium materialiter est voluntarium necessarium, perfectissimum formaliter est voluntarium liberum.

I. Quid nomine voluntarii indirecti intelligatur.

II. Status quæstioni proponitur.

Supponitur non esse obligationem effectum illum impediendi.

Quæri potest de voluntario specificativè, aut reduplicativè sumpto.

Aliud est esse perfectiorem actum, aliud perfectius voluntarium.

Dispositio naturalis est perfectior descriptione supernaturali.

Voluntarium liberum in ratione voluntarii videtur perfectius, quam voluntarium necessarium.

Maximè propriè voluntarium est, quod maxime opponitur violento, & modo operandi inanimatarum.

Per libertatem magis propriè operatur voluntarium ut voluntas.

Non quòd perfectior est cognitio, sed

Sanctus Ambrosius, si non pavisti occidisti. de quo alibi.

III. Primò itaque si ita proponatur quaestio ut is subvenire omittat ex intentione lapsus, vel mortis, tunc etiam si nullum sit præceptum, adhuc effectus inde secutus erit illi moraliter saltem voluntarius, tunc enim censetur aliquid moraliter voluntarium, quando facienti imputari potest in ordine ad laudem, aut vituperium, quod in his & similibus casibus fieri passim ab omnibus solet; cuncti enim ei vertunt vitio si ex huiusmodi intentione subvenire omittat.

IV. Si verò effectus hoc modo prævisus sequatur ad omissionem, & nec sit de eâ re præceptum, nec intendatur, probabilius videtur non esse voluntarium: ita S. Thomas citatus, Cajetanus & Thomistæ communiter, Vasquez Disp. illâ 24. & alii, licet contrarium affirmet Salas d. 1. sect. 4. num. 43. & alii nonnulli. Ratio est, quia hic effectus non est absolute à voluntate, vel physice, vel in morali hominum aestimatione: non physice, ut constat, cum is physice nullo modo ad lapsum illum concurrat, utpote qui, ut suppono, adæquatè sit physice aliunde. Nec etiam est à voluntate moraliter; tunc enim solum in morali aestimatione ei imputatur ad culpam, quando est obligatio: siquidem Angelus posset eundem effectum impedire, & tamen ei non imputatur. Imò & ipsi Deo peccata, quæ impedire posset non impediendo, peccata illa essent voluntaria. Hic ergo solum est effectus permissus, & consequenter non propriè voluntarius, sed ad summum numerandus inter voluntaria impropria, & indirecta.

V. Dices: æquè hæc sunt voluntaria sine præcepto, ac cum illo, præceptum enim non facit, sed supponit libertatem, sicut non facit, sed supponit libertatem. Respondeo supponere quidem libertatem in actu positivo omissionis, & consequenter illud voluntarium in volitione omittendi repertum, vel etiam in purâ omissione, quam habere in se rationem voluntarii, ostendi in libris de Animâ, Disp. 26. sect. 3. num. 6. Hinc tamen, nil contra nos, qui solum negamus effectum esse voluntarium secluso præcepto, non omissionem succurrendi. Dicimus itaque effectum illumposito præcepto, non esse magis physice voluntarium, quam erat ante, esse tamen moraliter, in quantum scilicet jam imputari potest ad culpam cum ante præceptum non posset.

VI. Dices secundò: illud esse voluntarium quod in potestate alicujus est, ut fiat, vel non fiat, sed ita se habet lapsus ille in præsentem, ergo. Distinguo majorem; est voluntarium in potentiâ, concedo majorem; voluntarium actu nego, ad hoc enim requiritur concursus aliquo modo positivus, non merè permissivus, sicut est in huiusmodi omissione: sic enim ad summum effectus est voluntariè permissus, non tamen voluntarius.

SECTIO SEXTA.

An effectus secutus ad causam positivam voluntariè datam sit voluntarius: ubi etiam de omissione.

I. **D**IVISI hac in parte sunt Theologi, affirmantibus aliis, aliis negantibus. Prima itaque sententia asserit huiusmodi effectum fore voluntarium, quamvis non culpabilem: ita Vasquez disp. 24.

cap. 3. num. 9. Salas disp. 1. sect. 4. num. 167. idemque tenere videtur Suarez 1. 2. disp. 4. & alii. Secunda sententia docet huiusmodi effectum, non esse voluntarium, nisi adsit obligatio non dandi causam. Quò clariùs procedamus

Supponendum, ut istiusmodi effectus sit voluntarius, requiri ut sit prævisus, idque sive à causâ necessariâ effectus procedat, sive à liberâ: sicut enim ut Sectione primâ diximus, ad hoc ut res aliqua sit perfecte voluntaria, necessarium est ut plene cognoscatur, & quò perfectiùs cognoscitur, eò magis est voluntaria; ita ubi nulla cognitio, nullum voluntarium. Unde qui sagittam, vel in incertum jacit, vel ad metam emittit, invincibiliter ignorans illic latere hominem, quantumvis hominem illic præter opinionem latentem interficiat, mors tamen ejus non est sagittam emittenti voluntaria, utpote nullo modo prævisa. Quare non quisquis est rei alicujus causa, sequitur rem illam ei esse voluntariam, cum voluntarium, ut diximus, essentialiter supponat cognitionem.

Dico itaque primò, effectum etiam positivum, & prævisum secutum ad causam positivam voluntariè datam, seclusâ intentione & præcepto, non esse voluntarium, nec nisi sit obligatio non ponendi causam. Ratio est: ut namque aliquid sit voluntarium, non sufficit quòd quocumque modo sit à voluntate, etiam per actionem positivam, & cognoscatur, sed esse debet ex cognitione per se in effectum illum influente; at in hoc casu cognitio effectus non omnino in illum influit, effectus etenim, quantumcumque prævisus, si non intendatur, non procedit ex illâ cognitione; non enim magis sequitur, quam si non prævideretur, imò aliquando minus, cum subinde ex hac prævisione retardetur nonnihil operans à causâ illâ ponenda, minusque libenter eam ponat, quòd effectum illum inde secuturum animadvertat. Quare ut aliquid sit voluntarium non sufficit quod prævideatur, sed ut cognitio illa sit aliquo modo influens, non merè concomitans: & idem est de actu bono in ordine ad laudem.

Aliud est si sit præceptum, seu obligatio talem causam non ponendi, tunc namque redditur effectus ex illa causa secutus voluntarius moraliter, seu ita, ut imputari possit ad culpam, ut latius dictum est sectione præcedente. At verò quoad physicum influxum eodem modo se gerit voluntas circa effectum illum secutum, ac si omnino non prævideretur: cum ergo nullo modo immutetur per cognitionem modus operandi voluntatis circa illum effectum, perinde se habet in ratione voluntarii circa eum voluntas, ac si cognitio illa hic & nunc non adesset, sed effectus planè ignoraretur.

Hinc insertur diversorum in particulari casuum, qui hic à nonnullis recenserentur solent, resolutio, & à Theologiae moralis scriptoribus latè discutuntur: existimo tamen eos omnes ex jactis jam fundamentis facile solvi posse, quorum proinde relatione in præsentem superfedeo. Videatur Sanchez, Layman, Bonacina, Filiucius, & alii.

Quoad secundum in titulo propositum, dico secundò, omissionem externam, si sequatur ad aliam actionem positivam, eodem modo non esse voluntariam, eadem quippe rationes de eâ urgent, ac de aliis, & à fortiori, si secludatur præceptum & intentio. Unde si quis exempli gratiâ studeat, vel aliquid agat die qua non est obligatio audiendi Sacrum, etiam si advertat inde secuturam omissionem Sacri, hæc tamen omisio non est ei voluntaria, sed voluntariè tantum permissa. Secus est si sit præceptum

II. Si hic effectus sit voluntarius, debet esse prævisus. Qui involuntarius est, non est voluntarius.

III. Effectus positivus non influit in effectum, sed operans ab illo ponendi se retardat. Cognitio hæc non influit in effectum, sed operans ab illo ponendi se retardat.

IV. Si sit præceptum, aut obligatio non ponendi causam, effectus est voluntarius moraliter.

V. Reliqua ad rerum moralium scriptores pertinet.

VI. Quod de effectibus positivis dicimus, dicendum de omissione externâ ad actionem positivam sequentem.

Huiusmodi effectus nec est à voluntate physice, nec moraliter.

Respondetur, præceptum facere effectum, non physice, sed moraliter voluntarium.

Ad effectum voluntarium requiritur concursus aliquo modo positivus.

præceptum; in hoc enim casu esset omiffio Sacri moraliter ei voluntaria juxta jam dicta: sicut etiam esset, si ea intentione studeret, ut Sacrum omittet, etiam eo die, quo sacrum audire non teneretur, tunc namque cognitio illa omiffionis Sacri, peculiari modo influeret, alluciendo voluntatem ad illius omiffionem, sicut dictum est de re positiva.

Si omiffio externa intendatur, est voluntaria.

VII. Omiffio interna est voluntaria.

Por omiffionem potest vel violari, vel impleri præceptum.

Omiffio tamen interna, sive pura, sive positiva, est voluntaria, idque secluso omni præcepto & intentione reflexa de illius existentia. Ratio est: hæc namque omiffio & libera est, & procedit à voluntate ex vi cognitionis, cognitionis, inquam, non ipsius omiffionis, sed objecti: hoc autem sufficit ad omiffionem voluntariam, ut constat de ipso actu positivo, qui ut sit voluntarius, non requiritur ut procedat ex cognitione ipsius actus, hoc siquidem rarò contingit, sed ex cognitione objecti. Cum ergo omiffio talis sit naturæ, ut per eam possit vel violari vel impleri præceptum, est in se voluntaria antecedenter ad præceptum. Videatur Suarez d. 1. sect. 5. Valquez d. 24. qui hæc fusè, prosequuntur. Tractant hic aliqui utrum dari possit pura omiffio, sed ad ea quæ hic tradi solent parum necessaria est hæc questio, & latè eam in libris de Anima discussi Disp. vigesima sexta per totam.

habet, velletque, quantum est ex se, illud non fieri: soli ergo homini, qui illud omninò liberè vult & admittit, est voluntarium peccatum, non Deo.

Aliud est de suadente, nec enim in vitus, aut ab alio determinatus, & cupiens peccatum non fieri, hoc præstat, sed ultrò ac sponte, peccati que illius perpetrationem intendens, nec minùs est causa illius moralis, quàm peccans est causa physica. Unde S. Augustinus affirmat Judæos occidisse Christum gladio linguæ, & tunc illum percussisse quando clamabant, crucifige crucifige. Ex quibus sequitur peccatum suadenti illud, non voluntarium esse, sed etiam voluntarium: horum autem nihil reperitur in Deo, ut ostensum est.

IV. Cur suadenti sit voluntarium peccatum.

Quod si Deus habitum vitiosum homini infunderet (quod tamen plurimi negant fieri posse, sicut nec habitum erroris) peccatum nihilominus inde secutum non esset Deo voluntarium, utpote quod non intendit, sed averfatur & prohibet: Deus quippe ejusmodi habitum infundendo utitur jure suo, supremo scilicet dominio, quod in creaturas omnes habet, amplissimæque potestate, atque ita citra ullam peccati, quod inde sequitur, intentionem hoc præstare potest, nec peccatum illud erit ei voluntarium, sed solùm circa illud habebit se permissivè.

V. Si Deus habitum vitiosum, etiam intantum homini infunderet, peccatum inde secutum non esset Deo voluntarium.

SECTIO SEPTIMA.

Cur peccata nostra non sint Deo voluntaria.

SECTIO OCTAVA.

Inquiruntur varia ad completans voluntarii cognitionem conducentia.

I. Cur peccata nostra Deo non sint voluntaria.

RATIO dubitandi est: nam & ea antequam fiant cognoscit, & insuper ut Disp. 29. Phys. cum communi Philosophorum sententia contra Durandum & Dolam ostendi, Physicè & immediatè cum voluntate creata ad omnem actum peccati concurret, hæc autem duo ad completam voluntarii rationem abundè videntur sufficere.

II. Ratio est, quia peccata non intendit sed prohibet.

Respondetur, hujus etiam difficultatis solutionem facilè ex jam dictis erui posse. Deus itaque peccata non intendit, sed prohibet, imò tantum abest, Deum ea velle, ut tum adhortationibus externis, internisque illuminationibus homines ab eorum perpetratione avocet, tum poenis etiam propositis deterreat. Licèt ergo ad ea physicè concurrat, id tamen solummodo præstat à creatura rationali ad hoc determinatus, & ut indemnem servet illius libertatem; quem proinde concurrerit juxta naturæ rationalis leges, universique moderatoris munus ei non præbere non potest, quamvis ut magis propriè loquar, ad peccandum non tam præbet Deus, quàm non denegat concursum.

III. Quod Deus motus appetitus in homine causat, non arguit peccata ei esse voluntaria.

Dices: Deus in homine producit motus appetitus, qui ad peccandum vehementer identidem instigant, & multò magis quàm suasio: si ergo homini suadenti sit secundum omnes peccatum ad quod suadet voluntarium, ergo & Deo appetitus motum producenti. Respondet fortasè primò posset, Deum non suà quasi sponte, sed ab exigentiâ naturæ determinatum, motus illos appetitus ad peccandum instigantes producere, nec alio modo ad illorum productionem concurrere, quàm ad productionem peccati; sicque hi motus non magis sunt ei voluntarii, quàm peccatum ipsum. Secundò dico, quantumvis admitteretur, motus illos Deo esse voluntarios, non tamen sequeretur peccatum ex his secutum esse Deo voluntarium, imò averfatur illud, & positò etiam appetitus motu pro-

Posita etiam appetitus motibus, Deus peccatum averfatur & prohibet.

QUÆRES primò: Darine possit voluntarium absque omni actu voluntatis. Prima sententia est negativa: ita Valquez primà secundà. Disp. 92. cap. 2. Albertus in secundo, Dist. 35. a. 3. Cajetanus q. 6. a. 3. Henricus Quodi. 12. q. 2. a. 4. Gabriel in 2. Dist. 41. a. 3. dub. 3. & alij.

I. Prima sententia negat posse dari voluntarium sine omni actu voluntatis.

Secundà sententia contrariò affirmat, dari posse voluntarium absque omni actu voluntatis; hæc imprimis tenet S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 3. & q. 71. a. 5. Durandus in secundo, Dist. 35. a. 1. q. 2. Aureolus ibid. a. 3. Ocham in 3. q. 10. Suarez hic, tract. 2. disp. 1. sect. 5. Valentia D. 2. q. 1. punct. 1. & alij.

II. Secunda sententia est affirmativa.

Existimo item inter has duas sententias facile componi posse, si distinguamus duo genera voluntarij, unum formale & directum, alterum interpretativum, & indirectum, quod in purà omiffione situm est: cum ergo Disp. 26. de Anima ostenderim possibilem esse puram omiffionem, voluntatemque proposito per intellectum objecto, posse ab omni actu cessare, non videtur negandum dari posse voluntarium indirectum, virtuale, & interpretativum, siquidem non velle objectum aliquod, auditionem scilicet sacri, aut sublevationem egentis profequi, cum potes & debes, perindè est, ac si hæc directè & positivè nolles: ergo in his casibus datur voluntarium interpretativum.

III. Potest sine omni actu voluntatis dari voluntarium interpretativum, non formale.

Quæres secundò: utrum etiam dari possit voluntarium absque omni actu intellectus. Respondetur absque omni omnino actu intellectus non posse, cum nec positivè elicere actum circa objectum aliquod queat voluntas, nec actum liberè circa illud omittere, nisi objectum proponatur. Verum est quidem ad voluntarium non requiri explicitam cognitionem objecti, sed sufficere quòd

IV. Dari potest voluntarium absque omni consideratione objecti, non absque omni implicita.

quodd quis implicitam & confusam alicuius rei cognitionem habens, hominem scilicet tali loco latere, negligat ulterius inquirere; sicque si sagittam in locum illum emittens hominem occidat, mors eius est ei voluntaria, & in hoc consistit peccatum inconsiderantiae. S. Thōmas itaque, dum hic q. 6. a. 3. ad 3. insinuare videtur, dari posse voluntarium sine actu intellectus, vult volummodo non requiri actum seu cognitionem explicitam, iuxta iam dicta.

Mens sancti Thoma.

V.
Voluntarium & spontaneum quomodo differant.

Quaeres tertio: quomodo voluntarium differat a spontaneo. Respondetur spontaneum illud dici; quod quis omnino vltro, ac merè ex sua voluntate praestat, & non suafu vel rogatu alterius: Rex quispiam exempli gratiā, nemine suadente, aut quovis modo instigante, Petrum in Baronis aut Comitis dignitatem adsciscit, hæc dignitatis collatio est regi spontanea: quod si alterius iussu suafu aut precibus Rex ad hoc fuisset inductus, voluntariè quidem id fecisset, sed non

spontaneè. Omne ergo spontaneum est voluntarium, non econtrā.

Quaeres quarto: utrum omne voluntarium sit volitum, & omne volitum voluntarium? Respondetur omne voluntarium esse aliquo modo volitum: quidquid enim rationem voluntarii fortitur, ab aliquo voluntatis actu id habeat oportet, ac proinde aliquo modo debet esse volitum. At verò non quidquid est volitum est voluntarium, multa namque ex vi vel metu faciunt homines, & ab aliis coacti, quæ proinde iis non sunt voluntaria: sed de hoc postea redibit sermo.

VI.
Omne voluntarium est volitum, non omne volitum est voluntarium.

Quaeres quinto: utrum idem opus esse possit voluntarium simul & involuntarium. Respondetur posse: & constat dum quis tempestate jactatus merces in mare projicit, hæc projectio est absolute ei voluntaria, aliquid tamen involuntarii habet admixtum, cum summā quippè voluntatis renitentia hoc praestat, & si salva vitā posset, merces non projiceret. De hoc tamen etiam plura postea.

VII.
Posse idem opus esse spontaneum & involuntarium.

DISPUTATIO LXXXVII.

De Violento.

PLVRIMA etiam in hac questione sunt Philosophica, & latè in Physicis tractata: hic tamen quaedam ex usu de Violenti natura subjungenda, cum maximè ad Voluntarii cognitionem conducant.

SECTIO PRIMA.

Praemittuntur quaedam circa naturam violenti.

I.
Violentum dicitur, quod est à principio extrinseco, passo non conferente vim.



VIOLENTUM juxta Aristotelem 3. Ethicorum cap. 1. est, *Quod provenit à principio extrinseco, passo non conferente vim: seu cujus principium est foris, & cui is qui agit, aut patitur, ut explicat S. Thomas, q. 6. art. 4. ad 2. positivè repugnat. Unde passo non conferente vim, perinde est ac passo renitente: alioqui multa essent violenta, quæ tamen à nullo violenta censentur.*

II.
Dicunt aliqui nihil esse posse violentum ulli rei posse esse violentum, quod in eâ producitur à Deo.

Nec mihi probatur, quod ex Thomistis affirmant aliqui, nihil esse posse violentum ulli rei creatæ, quod in eâ producitur à Deo: quamvis enim sit ab extrinseco, passum tamen, inquit, non renititur, nihil quippe reniti potest Deo, praesertim cum, ut alibi diximus unicuique rei insit potentia obediens ad obtemperandum Deo. Probabilius tamen est quod affirmat S. Bonaventura in 2. d. 25. part. 2. art. 2. q. 5. Vasquez d. 25. Valentia hic puncto 3. cum Gabriele, Durando, & aliis, posse scilicet creaturam pati violentiam à Deo: unde potest homo positivè reniti quando alicubi detinetur à Deo, & illic esse cum repugnantia: demones etiam & animæ damnatae invite detinentur à Deo in inferno. Sic si Deus calefaceret aquam, aut ignem infrigidaret, non minus essent iis calor & frigus disconvenientia,

Potest creatura pati violentiam à Deo.

quàm si producerentur ab agente aliquo creato; & appetitu innato vellent quodammodo qualitates illas non habere, & hoc sensu reniterentur.

Dices: creatura non habet inclinationem ad proprium bonum contra voluntatem Dei, ergo non erit ei violentum, quod fit à Deo, cum non sit contra illius inclinationem, utpote quæ nulla est. Respondetur non quidem esse inclinationem in creaturâ ad bonum aliquod contra voluntatem Dei, quasi reduplicativè, seu ita ut petat illud habere, etiam posito quod Deus nolit, hæc enim esset inclinatio, non inordinata solum, sed impossibilis, sicut nec lapis petit descendere, posito quod à fortiori agente detineatur. Ad hoc ergo ut aliquid sit violentum sufficit quod materialiter appetat bonum aliquod cujus oppositum hic & nunc vult Deus, seu à cujus adeptione per aliud agens extrinsecum impeditur.

III.
Rei creatæ, non reduplicativè, sed specificativè aliquid appetit, cuius contrarium vult Deus.

Nec obstat potentia illa creaturis omnibus insita ad obediendum Deo; esto enim sit in rebus hujusmodi subiectio, & subordinatio naturalis respectu creatoris, hoc tamen non tollit quin possit res illa esse ei violenta, utpote contra naturalem ejus inclinationem, & appetitum specificativè, & secundum se spectatum, cum frigus etiam à Deo in igne productum non propterea definat esse ei malum. Hoc clarè in aliis rebus cernitur: in ferro exempli gratiā est hujusmodi subordinatio, & subiectio respectu hominis, cum ipsi illud elevanti aut ad alios usus applicanti obediatur, & tamen elevatio illa non definit esse ferro violenta: & sic de cæteris.

IV.
Creatura subordinatio respectu creatoris non tollit, quo minus possit rei aliqua esse ei violenta.

SECTIO